

III.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 30.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos.*

Augiae in Regno Mithologico.

Ex mundo superiore.

Elysii-Meum, Die Martis, 8. May, 1810. (Noo. 20. Apr. 1810.)

Alia tempora alii mores — Calleo equidem res in vestra Graecia ultra modum exaggeratas fuisse. Verum tua historia — Augia! plus aequo suspensa est.

Nuper admodum ruri ambulabam; forte evenit, ut aulicum seu praediorum conductorem (Arendatorem) obvium haberem, qui mecum colloquia miscuit — memorabam ei multa & varia de agricultura in Helvetia. — Sit ita — reponebat is — continuoque repetebat: nihil equidem habeo in contrarium, & ego multa experiebat. Sed punctum non ferebant; duobus supra 30 annis Oeconomus sum, & cuncta tentamina successu carebant. — Sequor jam experientiam meam & pie defuncti genitoris mei — rectum ille tenuit dictans: Colonos simbriatis maniois, ruricolaeque secundum libros nihil quam perturbationes in labore sibi fecisse. —



Quot frustra bubuli pecoris Dominationi? quærebam ex ingenuo viro — quot jugera terræ? — 68 frustra; reponebat is. — quod pro 400 jugeris multum est. Non omne terrenum aptum est prato, non quævis agro idoneum, qui pecora numerosa temere cupit, ea & alere sciat oportet — labor hic improbus est, equidem scio quo usque cum eo proficere liceat.

Erras, aiebam, & rem non perspicis amice! multa duce Historia demonstrare scio.

Ut hoc, reponebat ille, curiosus sum audiendi. —

Faciam, dicebam, lubens auscultas.

In regione Græciæ Peloponnesi (hodie Morea) regio olim erat sub nomine Elidis (hodie Betwedere) cui præerat princeps Augias rei pecurariæ studiosissimus; quippe in suo stabulo 3000, id est ter mille censuit vaccas. —

Domine! loquebatur rusticani prædii Conductor, hoc quidem, cum bona Dominationis suis titulis dignissimæ venia dictum sit, hoc inquam est crassum mendacium, aut, ut urbana dicam, lapidum & stolidam figmentum — ut fieri quæso potest ut 3000 vaccas uni stabulo includat? expendat obsecro ad ficiam, quod 3000 vaccas capere deberet? Sed si stabulum etiam reapse adparatum esset, unde, amabo, adferentur alimenta? unde ampla ad pecori cornuto famulandum, ad mundandum, mulgendum, foetum curandum, pabulandum, potandum, a stercore purgandum

familia? — Saepe hoc palmare est, dice-
rum, mendacium, scio enim quid aredatoris,
quid Coloni valeant humeri, quid ferre re-
cusant.

Animo dilecte Vir! porro dicebam ad
Aredatorem; quam modicæ vos scientiæ ho-
mines estis intuitu destinationis hominum in
argumento agriculturæ; Memoratum stabu-
lum reapse extitisse fidem facit Ephem. mat-
tut. pro Cultæ conditionis hominibus de 17.
Aprilis, bene valis advertere: has paginas pro
cultæ conditionis hominibus non vulgaris scri-
ptas & contextas esse. — In iis occurrit ar-
gumentum sub titulo: „*Stabulum Augiæ*” quod
sic sonat: Plus alio hocce argumentum ex
historia Alcidarum probare velit: nonnullum
objectum, quod Theoretico pro suo conce-
ptu mentis bella arte indignum videretur,
sub producente manu genialis artificis adpro-
bationem & admirationem extorquere; quod-
que tum solum, cum vulgaris ingenii homi-
nes vulgaria argumenta audent pertractare,
illud Venusini vatis obtineat: *Quodcumque
ostendis mihi sis, incredulus odi.* — Cum ante
50 Annos Gallicus Eruditus inter cætera ar-
gumenta ex Mithologia de Hercule munda-
tionem quoque stabuli Augiæ pro materia
imaginis proposuisset, successu temporis Ko-
tzius propositionem insectatus atque in eo
subtiles sentiendi veterum artificum rationes
demonstrare conatus quod omnis Herculis hi-
storia lapidibus inexcipitæ legi possit, sola de
stabulo Augiæ in nullo reperitur, monu-

mento. — At jam eotum remonstratum est: sane reliquis hodie adhuc vetustæ artis monumentis imaginem purgantis Augiæ stabulum Herculia contineri — ac hodierna ætate nostra hoc ipso argumento probatum est: ingenio & gustu ignobile quoque reddi nobile — videlicet Josephus Hoffmann Colonia Agrippina oriundus, aliquot ante annis delineationem, purgationem stabuli Augiæ representantem Vimariam misit, qua non modo præmium 60 Aureorum, verum & testimoniam Cel. Goethe: inter omnia de præmio concertantes neminem tam ingeniosum opus elaborasse, ipsumque Rubens Magistrum inventionem imaginis adprobaturum fuisse, præmeritus est."

Hac citatione nihil opitulante Deconomus noster stabulo amplo 3000 pecora cornuta complectenti fidem dare non voluit: caput continuo in utramque partem versabat, contendebatque: historiam hanc ex earum genere esse debere, quales interdum Ephemerides texunt — exaggerata Nova. —

Incautum ei ostendere conabar: tua ætate pecoris dives Augia! nullas scriptas esse Novellas, hoc quidem esse potest, aiebat ille, novellisticum tamen spiritum jam eotum inter homines vigere oportuit."

Ipsa, quo Novellarum memini, tempore venit in mentem: haud abs re fore, si quaspiam novitates ex iis exserpero; atque huic scripto adjuaxero. — En ex iis memorabilia! —

Londini 7. *April.* Ante aliquot tempus quidam Joannes Gates in Causa famosi libelli in D. Yorke editi, secundum Decretum Curiae Inf. ad Carcerem Neogatensem (Newgate) deductus est — D. *Burdett* ejus dimissionem postulabat, cumque defensio non succederet, litteras protestatorias ad Committentes suos expediebat, ad Cives Abbatiae Vest. Monasteriensis, easque promulgabat. — In has igitur litteras D. *Lethbridge* in Curia Inf. injectus, eas poenalem privilegiorum Curiae laesionem esse declarando proposuit.

Contentiones circa hanc propositionem, Curia ad oppressionem referta, durarunt a meridiano nodius tertiusque 7. horam mat. hesterni. Inter caeteros Lord *Falkstone* propositioni adversabatur, ast inefficax. Lordii *Lethbridge* propositio adprobata est, tum D. *Roberti* *Salisbury* propositio ratihabita: D. *Francoiscum* *Burdett* ad turrim condemnandi. Postrema haec propositio, de qua D. *Sheridan* petiit: Sessionem exemplo protogati, cum 190 erga 152 suffragis probata est.

Difficile est describere, quanto opere Sententia Curiae haec animos adfecerit, quam primum publice constabat. Plebs turmatim Turrim petebat, *Baronetum* (Baronem) adventantem exceptura, eo numerosior ad aedes ejus in vico *Piccodilly* constitit. — Multi ex turba caeruleas gestate fascias, prominente hinc inde simbolo: *Burdett pro semper.*

Confluxus plebis augebatur sequ. provocatione, quae in omnibus Abbatiae V. Mo-

aster. singulis adpendebatur." — Propo-
nitur subscriptioni *petitio* ad Conventum Ele-
ctorum V. Moaast. Abbatiae consultandi gra-
tia de remediis adhibendis, cum Curia Inf.
repræsentante nos orbaverit. — Pluribus ho-
ris plebs quibusvis violentiis abstinuit; at
circa 5. vesp. luto eos impetere cepit, qui
communem causam facere detestabant; paul-
lo post tabulas vitreas fenestrarum in pluribus
domibus confregit; aliosque excessus para-
vit. Copiæ militares quibus politia usa, ad
prævertendos majores excessus, multa mode-
ratione & humanitate conversabantur.

Hodie 1. hora plebis confluxus proædi-
bus D. F. Burdetti idem adhuc, quisquis
prætergrediens, caput detegere, clamareque
adigitur: *Burdett pro semper!* Cæterum sen-
tentia & Jussum adprehendendi Burnettum
non dum executioni dari potuit, etsi Baro
memoratus ædibus suis immoretur.

Die 24. Febr. D. Perry Chronisi Matu-
tini proprietarius, & D. Lambert typogra-
phus & editor harum Ephemerdum in Jus
vocati, coram Tribunali Regio (Kingsbench)
comparere debebant; quod Fiscalis Regius
(Gen. Solicitator) eos auctores libelli adver-
sus Regiam Maj. accusarit. —

Præmissis prologo, quo accusator sua de
libertate preli sensa declarabat, eamque pri-
vilegiorum omnium Britannicæ nationis venus-
tissimum deprædicabat, Ephemerdumque
Scriptoribus Jus afferebat de cunctis publi-

æ administrationis argumentis, atque agendi Ministrorum Coronæ ratione opinionem tuam deprecandi; transitum fecit ad locum denunciatum memoratis in paginis, in quo secundum suam opinionem, omnes decori limites violarentur.

Memoratus locus ita habet. „Quanta Idearum copia animo offunditur, dum innumera salutaria Consectaria expanduntur, quæ totius hodierni systematis mutatio efficeret, Prefecto successor Georgii III. inter omnes ex tempore revolutionis Imperantes pulcherrimam occasionem habebit, nobili se ratione popularem reddendi.”

Gen. Solicitator existimabat, postremam orationis periodum aliis verbis tantum significare: „Non esse spem: quoddam ex his salutaribus consecrariis sub regimine hodie regnantis Majestatis obtineri posse, solum successoris ad solium evectione id fieri posse, vitamque S. Maj. esse unicum adversans impedimentum; tale assertum autem esse summo opere offensivum & periculosum, petitque nomine Coronæ auctorem puniri.

D. Perry, qui cum D. Lambert in persona comparuit, defendit causam suam ea cum dexteritate, quam ipse Gen. Solicitator laude prosecutus, tum Supremus Judex Lord Ellenborough Juratis Assessoribus argumenta ex utraque parte allata repetiit, ac in Epilogo Orationis agebat „Judicii esse pro sapientia sua vim & finem denunciatorum paragraphorum ad trutinam exigere. Esse rem *

longo repetere, si afferere quis vellet," votum: Systema quoddam regiminis, quod obtinet, evertum videndi, secum ferre consilium interitus Regis". &c. (Judicium accusatos non reos declaravit.)

BIOGRAPHIA.

Augias, filius solis, Rex Elidis — ætate juvenili Colchidem petiit, eratque unus ex Argonautis, qui Duce Jasone A. M. 2721 celebrem illam expeditionem Argonauticam suscipere. Erat ex difficilis suæ ætatis principibus, quod ex ejus pecuniaria re, quæ ea ætate præcipuas opes constituit, advertere licuit. Ita habuit unum stabulo contentas 3000 vaccas. Ejus mundationem in se recepit, Hercules, pro quo enormi labore decimam sibi pecoris partem stipulatus, quam fidem Augias idcirco servare detrectabat, quod labor alioqui Herculi ab Eurysthene Rege impositus esset, & ex nullam compensationem exigere liceret. Quapropter Hercules bis eum bello in Elide adgressus, occidit, filiumque ejus Phyleum regem & successorem denominavit.